

urgentem necessitatem, & manifesta textus indicia, quæ hic nondum deprehendere potuimus, haud recedendum arbitramur; ne quidvis, ut ajunt, ex quovis exsculpendi libertas tandem irrumpat. Quare, si quidem omnino hæc defendenda sententia foret; posset forte minori cum violentia, a&tiva significatione retenta, vocula *σοι* non ita strictè de tota Mariæ persona accipi; (id quod faciendum subjecta moneret materia) sed de carne ejus, & semine, (sensu Script. S. non minus consueto) quod semen tum adhuc virgineæ substantiæ pars erat, unde formandam H. N. Christus sibi sponsam delegerat; nam & expansio pinnæ pallii, & alæ vestimenti in ll. pro hac sententia allegatis Ruth. III. 9. Ezech. XVI. 8. active sponso attribuitur. Verum periret sic potissimum fere fundamentum hujus explicationis, locus scil. Jerem. XXXI. 22. Ubi dicitur *mulier virum circumdabit, non vir mulierem*. Quare nihilominus priorem, quam attulimus similitudinem, simplicior, & Sacr. S. melioribus fundamentis inniti, salva dissentientium auctoritate, credere nobis licebit. Cui si addere libuerit ulteriorem Gregorii meditationem, de ipso germine inde prodeunte, quod *quasi umbra sit ex luce Deitatis, & corpore humanitatis*: vel aliorum DD. de obnubilatione hujus mysterij, ne curiosius, quam par est, in id inquiremus, per nos itidem liberum erit; modo scopus metaphoræ primarius non negligatur; nec in his, nec in nostra comparatione tertium, ut vocant, comparationis nimium extendatur. Nam divinum hoc unionis personalis mysterium in universa natura sibi prorsus simile quid haud agnoscit.

Tertia propositio ipsa tandem conclusio est, quam Angelus è prioribus extrahit, & per *particulam διδ* infert, quæ com-
mode ad utrumque præcedens enunciatum refertur; sed ratione diversarum in conclusione partium. Quoniam enim propositio prægnans quasi est, & implicite duas continet; haud immerito in eas resolvitur. Prout etiam id ipsum Syrus in Versione sua conatus est, qui juxta Tremell. translationem vertit; *propterea is qui nascitur ex te sanctus est, & filius DEI vocabitur*. Quamvis melius, nostro quidem judicio, ea resolutio fiat *repetita voce γεννᾶσθαι seu nasci, & intento genere neutro*

§. VII.

γ) Propos.
particula illa-
tiva.
διο.

B 3

hunc